

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Oratio de Casparo Crvcigero

**Melanchthon, Philipp
Creutziger, Caspar**

Witebergae, 1549

VD16 M 3747

Reponso ad questionem.

urn:nbn:de:bsz:31-61737

RESPONSIO AD Questionem.

Vtrum, cum fatendum sit in Ecclesia Synodorum iudicia esse oportere, obligandi sint homines, ut iudicato obtemperent sine ulla recusatione, sicut in imperijs necesse est iudicatum facere.

RESPONSIO.

Nimis uerum est dictum Simo-
nidis το ποτερον βιαζεται τω αδικοει, id
est, opiniones uim afferunt ueritati.

Sæpe enim in uita persuasiones errore conceptæ, impediunt conspectum ueritatis, ut quia multi existimant ueram Ecclesiam esse Politiam similem imperijs, quæ corpora gubernant, tribuunt iudicijs regiam potestatem, cui necesse est obedire non solum propter rationem probabilem, sed etiam propter autoritatem, quam Deus illi fastigio attribuit.

Cum dissiderent inter se duo fratres Regis Darij filij, Artabazanes & Xerxes non de duabus capellis, Sed de imperio totius orbis terrarum florentissimo de regno Persico, Postquam sententia iudicum frater natu minor prælatuſ est, alterum etsi probabilem causam habuerat, cum anteferendus esset, tamen iam obtemperare iudicato iustum erat.

Sed

Sed multum dissimilis est Ecclesia imperijs. Valent
sententia iudicum non regia aut pratoria autoritate,
sed quia uere congruunt cum doctrina à Deo tradita.
Si non uere congruunt, etiam si in speciem blandiuntur
rationi humanae, anteferenda est Regula, Si quis
aliud Euangelium docet, anathema sit, ut quanquam
Synodus Syrmienfis, in qua magna frequentia fuit
Episcoporum Asiae & Europae, decretum fecit, quod
utile ad sarcendam concordiam uidebatur, ut in Sym-
bolo Niceno legeretur ὁμοίον, non ὁμοῶσιον, tamen
huic tanto consensui aduersari necesse fuit.

Sed obijciunt uiri politici, Quid opus est iudicijs
si postea contradicere licet, nec finiunt controuersias,
nec tollunt discordias?

Ad hanc obiectionem respondeo, iudicijs tamen
opus esse, Quia uera Ecclesia recte sentientes confir-
mat suo testimonio, et monstratis sententiae causis, alios
quos errantes in uiam reuocat, sicut saepe hoc tempore
nostris iudicijs reuocati sunt aliqui ab erroribus Ana-
baptistarum.

Non igitur inutilia sunt iudicia, etiamsi multi
non obtemperant, quos tandem compescet Deus, sicut
compescuit Iudeos refragantes iudicio Apostolorum.

Controuersiae igitur in Ecclesia magna, uix un-
quam tolluntur nisi mirabiliter Deus reprimat hostes
ueritatis.

B ij Nec

Nec quicquam pulchrius est in toto genere humano, quam pia Synodus, quæ placide & uero studio sine cupiditatibus inquirat & patefacit ueritatem, & suo testimonio gloriam Dei ornat.

Talis coetus uere est chorus angelicus canens hunc hymnum, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, hominibus letitia.

Itaq; pias Synodos & pia iudicia ueneremur, & quidem diligenter consideremus causas & fontes sententiarum.

Sed discernamus Synodos. Cum impij coetus, qui tenent ordinariam potestatem, decreta faciunt contumeliosa aduersus Deum, qualia recens fecerunt Synodi Tridentina & Bononiensis, aduersari necesse est.

Et si igitur optandum est, ut pia Synodus recte iudicet controuersias, tamen qualecunq; iudicium instituetur, non est abijcienda ueritatis confessio, nec promittat quisquam se obtemperaturum esse iudicato, nisi antea decretum audierit. Nec imago iudiciorum ciuilium & prophanorum ad hæc certamina de gloria Dei transferatur, Sed alio tempore hac de re copiosius differemus.

DECANVS